



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 4. In SS. Trinitatis Providentiam projectionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

## EXERCITIUM IV.

*Erga SS. Trinit. per projectionem sui in ejus  
Providentiam.*

1. **C**onstituete, coram SS. Trinitate: tanquam coram Mari fundo carente, omnibus bonis repletissimo: & ex cujus plenitudine manant omnia: replenturque, & continentur omnia.
  2. Collige, omnes Necessitates tuas, (tuorum, & denique omnium creaturarum.) Curas quoque, proposita, intenta, vota, desideria, obligationes.
    3. Projice illas omnes, in Abyssum Providentiae, Voluntatis, Charitatis, Sapientiae, Omnipotentiae, Fidelitatisque Dei.
      4. Sepeli eas ibique prorsus demerge, in Domino Deo tuo: jactans omnem cogitatum tuum in eo: certus; quia ipse faciet ea omnia, quae gestui illius, tuae autem saluti, atque consolationi plenissime servient.
        5. Id autem eam fac simplicitate atque securitate, quam se infantuli in sinu suarum Matrum vel Nutricum deponunt; nihil omnino sollicitudinis, ac neque cogitationem sollicitudinis, & curae sui habentes, sed ex toto provisioni maternae innitentes, in eaque tanquam demersi conquiescentes.
          6. Pariratione & tu; totus quantus in Divinae Providentiae plusquam Materno sinu recumbes & conquiesce: certus quoniam ipsi est Cura de te deque omnibus.
            7. Et eam quidem tantum major ac liberalior, quantum tua, in ejus Providentiae curam, est projectio

jectio fidentior: atque plenior. Ex mensurâ enim nostrâ in Deum fiduciâ, admetiri consuevit Deus curam suâ Providentiâ, semper superaddens plurimum: Nolens nostram in eum fiduciam esse frustraneam: & Volens, suam fidelitatem circa nos, esse superplenissimam, & superexaggeratissimam.

8. Sic ergo sta in Providentiâ Dei fidenter, sicut vel terra in centro, vel infantulus in Materno sinu, perinde ac si nihil deberes, nihil velles, nihil posses, tibi providere, ac procurare. Nihil in te, in tuis viribus, in tuis industriis, in tuis meritis, in ullius Creaturæ subsidiis promissivè spei, aut fiduciâ habendo, sed horum omnium efficacitatem, ex Dei Providentiâ, quâ in sui dispositione nunquam fallitur, expectando, acceptando, eidemque totalissimè attribuendo.

P R A X I S.

**S**ANCTISSIMA, PIÏSSIMA, FIDELISSIMA TRINITAS DEUS, in tuam Divinam Providentiam, Bonitatem, Sapientiam, Omnipotentiamque, me totum, measque omnes, & singulas, nec non meorum, ac totius Universi, necessitates abjicio, demergo, desero. Itaque tu ô suavissima, atque Dulcissima Providentia, mihi, & omnibus mecum provide, sicut potes, scis, & vis. Ego enim nihil opis mihi afferre, nihil providere ex me sine te possum. Perdere, & providere me possum, sed tueri ac servare non possum. Quid enim sum mihi sine te Domine, nisi Dux in præceps?

D §

EXER-

9: 2  
oper  
Tot  
N  
5